

pore etiam civiles discordiæ, Reipublicæ nostræ præcipuum detrimentum, adhuc illam scindebant. Eodem anno Alexandrini cum quibusdam Lombardiæ Civitatibus, Marchionibus Salutarum, & Carretti, jussu Caroli Regis Siciliæ in Genuensium fines arma ducunt. Eodem anno Odoardus de Comitibus (1) Præturam suscipit Alexandria; castrum, & oppidum S. Salvatoris e Marchionum manibus eripit, quod non multo post tempore amittit, & capiuntur quidam de Marenchinis. Regimen Alexandria fit.

(1) Comitibus MS.

MCCLXXIV. Cum Astenses fœdus cum Marchione relictis Alexandrinis iniissent, Alexandrinorum territorium longe, lateque populati sunt per octo perpetuo dies, qui hac necessitate permoti coguntur renuntiare patrocinio Regis Caroli, quando ab illis injuriam propellere armis minus valeret (1). Quo etiam anno Magistratus eliguntur, & fiunt, qui Reipublicæ præessent, illiusque curam susciperent, qui antiani postea vocati fuere. Quo etiam tempore Gullielmus Ventura Astensis auctor mirabile quodam se vidisse asserit de Gullielmo quodam de Monte-Baruccio, qui maxima febre correptus fere opprimebatur, ita ut ægritudinis impatientia, & febris ardore impulsus, nudus se in Tanarum conjecerit, & sæpius per totam noctem ultro, citroque transnato flumine, tandem nudus in arena jacuit, manequ inventus fuit semimortuus, sed in lectum positus multis sudoribus sanus efficitur. Sunt qui affirmant, præcipue Gullielmus Ventura prædictus, hoc anno Alexandrinos cepisse Marchionem illum, & carceri mancipasse, in quo etiam obiit, quod mihi quoque verisimilius fit. Certe hoc anno Viarsum, & quædam oppida domini Montisferrati Alexandrini capiunt, & hoc eodem anno una cum Derthonensibus pro Mathæo Vicecomite bellum gerebant. Hic Mathæus castella Novariæ, Vercellarum primus erexit: fortasse is fuit, qui Cittadellam, quam Alexandria appellant, erexit. Hoc etiam anno Astenses una cum Cheriensibus, & Thoma Comite Sabaudia bellum in Alexandrinos suscipiunt.

MCCLXXV. Euasius Turris Mediolanensis Prætor Alexandria fit. Hispani in Insubria visuntur. Marchio Montisferrati cum Ticinensibus, & Astensibus Alexandrinum agrum devastatur, urbem misere diripiunt, illamque incendiis deformant.

MCCLXXVI. Gullielmus Petra Præturam egit Alexandria. Lanzavecchiarum gens patriam reliquit. Derthonenses apud Serravallem per Marchionem, & Astenses vincuntur.

MCCLXXVII. Gullielmo Odone Præturam Civitatis agente Marchio Montisferrati cum factione Lanzavecchiarum Burgolium occupant; sed victi postmodum (1) prædaque amissa iterum Burgolio excedere coguntur.

(1) Postmodum MS.

MCCLXXXII. Guido Capiona Prætor fuit. Putei expelluntur Alexandria una cum gente Guasca, ex quibus multæ familiæ in subalpinis propagatæ, aliæque alibi, quæ etiam nunc extant. Quo etiam anno Nicolaus Milanius populi Capitaneus renuntiatur.

MCCLXXXIII. Bonifacius Pusterla Mediolanensis Præturam gessit Civitatis. Castellatium oppidum in-

signe munitum una cum Oviliis in hostium potestatem pervenit. De mense augusti Derthonensis Episcopus cum asseclis, quos multos & magni nominis habebat, & Gullielmo Montemerlo gentem Puteam redire faciunt in patriam. Renovatur dissidium cum Marchione, qui cum tentasset oppugnationem Civitatis juxta portam Rosolæ, prope jam voti compos factus, referre pedem celerrime coactus ab excubiis, & illis, qui ad tumultum accurrerunt; & dum tumultuarent, & non servatis ordinibus fugam fœdam arripiunt, Obertus Canis in flumine Burmidæ vorticibus absorbetur. Osinus Beccaria interea (1) Capitaneatum populi populi gerebat.

(1) Interdum MS.

MCCLXXXIV. Gullielmus Busnachus (1) Prætor Civitatis efficitur. Putei patria exules militum manu armata apud Portam Marengi civili prælio decertant, adversariosque profligant. Boschus, & Frixonaria in eorum potestatem deveniunt. Marchio Montisferrati, ut Alexandrinos amicis, & fautoribus nudaret, Derthonenses, & ejus Episcopum jugulari jubet, quod esset in Episcopum male animatus.

(1) Masnachus MS.

MCCLXXXV. Die duodecimo mensis septembris Otho Vicecomes Archiepiscopus Mediolanensis Synodum in Ecclesia S. Theclæ inivit; ad quam comere debebant omnes ejus Episcopi, & suffraganei auctoritate summi Pontificis, in quo multa, quæ ad bene vivendum conferunt, edixit observanda. Huic Synodo nomine Ecclesiæ, & Capituli Civitatis Alexandria quidam Ruffinus sine cognomine tunc Archipresbiter, & Johannes Merulanus, seu Merula Canonicus interfuere.

MCCLXXXVI. Simone Masucio Præturam agente obsidetur Boschus, & Frixonaria; gensque Putea solum patrium repetit, Corrado intercedente. Jacobus Olarius, seu Aularius vices Montisferrati Marchionis obtinet eorum oppidorum, quæ trans Tanarum, & in Montisferrati Marchia sunt.

MCCLXXXVIII. Prætorium novum Civitatis Simone Belvisio tunc Præturam Civitatis exercente voraci flamma comburitur. Quo etiam anno quædam scripta attestantur, Marchionem Gullielmum Civitatis dominium habuisse, prout & Canavesii, Eporediæ, Vercellarum, Novariæ, Papiæ, Derthonæ, Aquarum, & Albæ.

MCCLXXXIX. Alexandrini una cum Derthonensibus obsident Augustam Bagienorum, in qua se receperat quidam Comes Languschnus, cui suppetias ferunt Mediolanenses, qui cum jam Lumellum petiissent, intercedentibus quibusdam Cucullatis minoribus, & Gullielmo Petra, pax inter eundem Marchionem, & Confœderatos initur; cum jam utrinque acies essent ad pugnam explicatæ, ac plane instructæ. Eodem anno jam ædificabatur major Ecclesia sub titulo S. Petri; propterea sexto idus martii a quibusdam Archiepiscopis, & Episcopis quædam indulgentiæ conceduntur (1), quod ipsum & a Nicolao IV. summo Pontifice anno secundo sui Pontificatus idem fit, qui in diplomate suo attestatur, corpus S. Evassii in dicta Ecclesia eo tempore fuisse; quod postea Facinus Canis Casale S. Evassii reportari fecit de anno 1403. die 21. mensis septembris.